

## De morte R. P. Georgii Kaiser.

### De morte R. P. Georgii Kaiser.

De R. P. G. Kaiser, Prov. Paris. sodali, cuius mors in pag. praecedenti annuntiatur, postea necrologium tam meritum evulgabimus, hodie his paucis dictis contenti.

Universus Aequatoris australis populus in inexspectata Patris Kaiser morte profundissimi doloris signa dedit; adeo hic sacerdos secundum cor Dei 36 annis, quibus Conchae constitut, pauperes divites, nobiles ignobiles, Iberico-Americanos Indianos ad se attraxit *in vinculis Adam*, *in vinculis caritatis* (Os. 11,4). Mors autem desideratissimi confratraris ita accidit:

Sabbato, pridie kal. Dec. 1929, R. P. Kaiser cum socio, R. P. *Arsenio Vailland*, in viculo *Gapal*, haud ita procul ab urbe *Cuenca*, missionem finierat, et populus gratus, viam floribus spargens, missionarios ad centrum paroeciae *Valle* conduxit, ubi eodem vespere missionis exercitia incipienda erant. P. Kaiser, priusquam cubitum iret, peccatorum homologesim perfecit; insequenti die bis mane praedicavit et iuxta Constitutionum monitum (n. 99) diem in quodam sancto secessu transegit, visitato etiam loci coemeterio. Cenae assidens hilaris erat, ut unquam alias. Repentino, sanguinis congestionem in cerebro iam sentiens, surgit, aërem foris hausturus. At mox cadit in terram, et rei gravitate statim a parocho perspecta, P. Vailland festinanter confratrem in fronte sacro oleo ungit, dat absolutionem sacramentalem et benedictionem apostolicam, et dum preces morientium recitantur, P. Kaiser in Domino obdormit.

Hic Virgilii versus de Marcelli praematura morte in mentem veniunt:

*Quantos ille virum magnam Mavortis ad urbem  
Campus aget gemitus!...  
... Manibus date lilia plenis!*

(Aen. VI, 873. 884.)

Ad apostoli corpus mortuum universus fere populus in ecclesia noctem flendo, orando transigebat. Mane sollemniter Missa de Requie per parochum R. D. *Valencia*, Congregationis Oblatum, cantata, exuviae carissimae virorum humeris Concham portantur, comitantibus iterum plurimis parochianis. Ad pontem *Ingachaca* ingens multitudo exspectabat. Quot basia arcae impressa! Quot flores innecti! Quot lacrimae profusae! Ad urbis ingressum ruricolae debuerunt tandem pretiosum onus iuvenibus nobilibus urbis cedere, qui idem humeris suis ad S. Alphonsi aedem deportarunt. In cunctis domibus luctus signa videres; ex omnibus templis campanas lugubres sonos edentes audires. Etiam operariorum associatio quaedam suos miserat symphoniacos.

Arca in ecclesiae aditu collocata statim iuvenis sacerdos et vir laicus apposite orationes pronuntiarunt. Illo d. 2 Dec. decurrente Concha tota accurrit dulcissimum

P. Kaiser honoratum. Eodem die consilii municipalis praepositus nomine civium et « conservatorum directorum » nomine huius factionis, evulgatis foliis propriis, ex officio dolorem suum manifestarunt ac summas laudes defuncto missionario tribuerunt. Item ephemerides istarum dierum significationibus maeroris et admirationis abundant, nec deest lingua Indiana.

Die insequenti exsequias solemnissime celebravit ipse loci Episcopus, assistente Capitulo ac Seminario. E clero quoque saeculari regionis, cui P. Kaiser ultima exercitia praedicaverat, permulti aderant. Omnes communitates religiosae ac scholae suos miserant deputatos, iuvenistae autem Fratrum a scholis christianis dictorum cantum liturgicum suscepserant. Vastum templum multitudine totum impletum fuisse patet. Circa feretrum acervus 120 sertorum suave olentium congestus. Ex-iuvenista noster, sacerdos *Carolus Terán Zenteno*, eximie orationem funebrem dixit, et post Missam complures alii oratores surrexere; in fine vero Adm. R. P Rector *Ios. Leigniel*, grates debitas reddens de tali humilis confratris apotheosi, denuo ingentem lacrimarum vim suscitavit.

Vi privilegii benigne a magistratu concessi carae exuviae in nostro coemeterio tempore pomeridiano sepultae sunt, cui devotissimae caerimoniae pauci amici assistere potuere. Exinde undique nova in dies afferuntur testimonia amoris et observantiae in dulcissimum P. Georgium Kaiser, insignem terrae Azuyanae apostolum, *qui pertransiit benefaciendo* (cf. Act. 10, 18).